

---

D e  
**Alberti Georgii Walchii**  
v i t a.

---

ἱερὸν ὕπνιον  
Κοιμάται. Θνήσκειν μὴ λέγε τοὺς ἀγαθοὺς,  
Antholog.

**M**emoriam virorum de civibus deque universa patria bene meritorum grato animo recolere cuiusvis est officium. Neque solum qui laudes hominum, a quorum virtute multa in alios bona redundarunt, exponunt, fructum inde et voluptatem ipsi percipere solent, sed etiam qui legendo cognoscunt delectantur et ad simile virtutis studium incitantur. Quam ob rem adolescentibus imprimis vitae illustrium virorum, cognitu utilissimae, recte commendantur. Nam quid vel ad mores fingendos vel ad animos erigendos atque altiorum rerum studio inflammandos aptius est, quam hominum virtute praestantium exempla ad imitandum proposita? Quodsi vel eorum, qui nullo nobiscum vel necessitudinis vel pietatis vinculo coniuncti fuerunt, hominum, qui multum aut reipublicae aut etiam universo generi humano utilitatem attulerunt, memoriam studiose libenterque renovamus; magnopere profecto decet, memoriam eorum propagare et, si fieri possit, immortalem reddere, a quibus ipsi beneficiis affecti simus. Est igitur, quod sperem, me gratum facturum esse et huius Gymnasii civibus et magno numero hominum eruditorum et nostrae urbis incolis, si

de M. Alberti Georgii Walchii vita ea, quae partim ipse memoria teneo, partim ex monumentis literarum haurire, partim ex sermonibus eorum, qui illum viderunt et consuetudine eius usi sunt, cognoscere potui, literis mandaverim. Quodsi mihi contingat, ut imaginem vitae morumque viri ante hos fere viginti annos defuncti talem, qualis hodie quoque in animis discipulorum et quicumque illius consuetudine usi sunt, haeret, fideliter expressam repraesentem, magno me hominum piorum gratorumque desiderio satisfacisse, simulque iusta manibus viri praestantissimi rite persolvisse putabo. Idque ut faciam, etiam instituto quodam maiorum admo-  
neor. Namque et Godofredus Ludovici \*), Gymnasii nostri Rector, Reyheri et Wolfgangi Seberi vitas exposuit, et Eccius, \*\*) Professor Lipsiensis ex Comitatu Hennebergico oriundus, eiusdem Seberi memoriam renovavit, et Schmidtius \*\*\*), Conrector quondam Gymnasii nostri, vir laude dignissimus, eiusdem Seberi vitam enarrando illustravit. His igitur me quartum adiungere audeo.

Nam quum ad celebrandos festos examinis dies huiusmodi literae conscribi soleant, hac occasione oblata nulla ratione melius me uti posse arbitratus sum, quam si laudes Rectoris quondam clarissimi celebrare conarer.

Albertus Georgius Walchius cognationis fuit honestissimae. Prodierunt enim ex gente Walchiana patrum memoria plures viri et ingenii doctrinaeque laude florentes, et summis honoribus insignes. Quorum numero fuit Jo. Georg. Walchius, clarissimus ille Theologus Jenensis, qui optime imaginem expressit vitae et virtutum Martini Lutheri et maxi-

\*) Cf. Ludovici, Historia Rectorum Gymnasiorum Scholarumque Celebrium. Part. 1. Lips. 1703. 8.

\*\*) Rede am zweihundertjährigen Jubelfeste des Hennebergischen Gymnasiums, gehalten den 14. April 1777 von Joh. Georg Eck, Prof. der Philosophie zu Leipzig und einiger Akademien Mitglied. Leipzig 1778. 8.

\*\*\*) Cf. M. Caroli Christiani Theophili Schmidti, Gymnasii Hennebergici Conrectoris, programma de Wolfgango Sebero, de Gymnasio Hennebergico et de literis Graecis optime merito. Schleusingae, MDCCCXIII. 4.

mam curam edendis interpretandisque immortalis viri operibus impendit. \*) Tum Christianus Gulielmus Franciscus Walchius, Professor Theol. Primarius Gottingensis, \*\*) et Jo. Ernest. Immanuel Walchius, Professor eloquentiae, decus Jenensis literarum universitatis. \*\*\*) Omitto alios de re ecclesiastica et scholastica Meiningensi optime meritos, statimque converto me ad eos viros, patrem et filium, qui de nostro Gymnasio per integrum fere saeculum summa cum laude maximoque cum fructu praefuere.

Georgius Ernestus Walchius, pater Alberti, natus Meiningae anno MDCXCVI, patre usus est Ge. Walchio, Ducatus Meiningensis Superintendente Primario. Ab anno MDCCXXIII munere Conrectoris Gymnasii Schleusingensis fungi coepit, quod tanta diligentia, tantoque studio ac prudentia administravit, ut decennio post (anno MDCCXXXIII) dignus haberetur, qui in locum Schadii, Rectoris Gymnasii, succederet, quem aequales ad formanda iuvenum ingenia natum fuisse praedicabant. Neque minore cum laude huic muneri quam priori praefuit. Nam quum doctrina haud vulgari instructus esset, summa cum pietate, summa diligentia, acri discipulos erudiendi studio huic Gymnasio omnibusque Hennebergiae incolis vitam operamque consecravit, id quod auctorum, qui de eo memoriae prodiderunt, omnium constat testimonio. Qui quum in docendis formandisque adolescentibus consenuisset, iamque regundo ludo literario minus par esse videretur, contigit ei, ut Albertus Walchius, filius eius, a Sereniss. Gymnasii Nutritoribus adiutor adderetur et vicarius. Quo facto postero anno MDCCLXIX, qui fuit aetatis tertius et septuagesimus, quum per integros quadraginta sex annos docendis adolescentibus operam dedisset, diem obiit supremum, et die XIII. mens. Janu. funere amplissimo elatus est. Longum est, programmata annua, quorum celebratissima sunt, quae historiam spectant Hennebergicam, enumerare.

\*) Dr Martin Luther's sämmtl. Schriften 2c. von Joh. Georg Walch. XXIV Bde. 4. Halle 1750 — 53.

\*\*) De huius scriptis cf. Meusel, gelehrtes Teutschland.

\*\*\*) De quo vid. Lebensgeschichte des wohlhel. Herrn Hofraths Joh. Ernst Immanuel Walch, zu dessen ruhmvollen Andenken entworfen, Jena 1780. 8.

Huius igitur filius fuit **Albertus Georgius Walchius**. Qui, qualis vir futurus esset, statim quum nasceretur animo praesensisse videtur is, qui carmen ei natali die dedicavit, quod hodie in bibliotheca Schlenkingensi servatur. Neque eum spes fefellit. Namque ut primum ex pueris excessit Albertus, tanto ardore in studia humanitatis et literarum incubuit, ut in iis condiscipulos paene omnes antecederet, atque adeo adolescentulus sedecim annorum dignus iudicaretur, qui, oratiuncula latina de vino, veterum potu eiusque origine, coram frequenti civium procerumque conventu habita, honorifice dimitteretur. Neque tamen prius ex patria discessit, quam (quum eodem anno, qui fuit a. Chr. n. **MDCCLIV**, **Ardelio** [Der Geschäftige], comoedia Ludovici de Holberg, a civibus Gymnasii nostri publica auctoritate ageretur) in scenam progressus, personam ageret Leonardi. Iussu enim optimi principis, **GEORGII ERNESTI**, Comitum Hennebergicorum ultimi eiusdemque conditoris huius Gymnasii munificentissimi, cuius nullo tempore cives Hennebergiae immemores erunt, institutum erat, \*) ut quotan-

\*) Cf. Einladungsschrift zu einigen theatralischen Uebungen, die während der von den sämtlichen Durchlaucht. Nutritoribus des Chur- und Fürstlichen Hauses Sachsen etc. veranstalteten Visitation etc. den 13., 14. u. 15. Sept. 1769. pag. 7. abgehalten wurden. De quo quidem instituto quum saepe a multis in utramque partem sit disputatum, ac plerique aequalium nostrorum illud non acceperint, nisi fama atque auditione, multi etiam nostrae urbis incolae ipsum locum ignorent, ubi ludi illi scenici ederentur, ab animo meo impetrare non potui, quin ex Programme ab Alb. Walchii ad sacra Gymnasii saecularia secunda celebranda a. **MDCCLXXVII** scripto, hunc locum cum popularibus dilectissimis communi-  
carem. „Ludi theatrales, inquit ille, ex voto beatissimi **GEORGII ERNESTI** celeberrime in Gymnasio acti sunt, Rectoribus, utroque **Schadio** et **Ludovici**: dicatum illis erat Domini territorialis indulgentia aedificium illud, Principum Hennebergicorum aetate ad spectacula et ludos artificiosissime exstructum, quo imposito bini horti principalis utriusque muri **Naha** flumine subterlabente coniungerentur.“ (Qui murus ex altera contignatione ipsius arcis orsus per hortos arcis subiectos ad domum illam, quam a possessore **Stockelmannianam** hodie vocant, perductus erat. Haec propterea hic addere placuit, quod aequalibus nostris mortuis, vix quisquam istius muri tractum propter egregias abhinc decennio et quod excurrit aggeratas vias publicas, cogitatione sibi fingere poterit.) „Quod quum vetustate tritum dirueret annus **MDCCLX**, diu cessarunt civium nostrorum exercitationes theatrales:

nis fabulae aliquae a discipulis agerentur; quem morem etiam b. Albertus Walchius retinuit. Haud ita multo post a. MDCCLIV, stadium in Gymnasio rite emensus, ad altiora studia colenda in universitatem se contulit Jenensem. In qua quidem Academia, excellentissima artium literarumque magistra, Albertus noster cum ob integram aetatem, tum ob vitam curis liberam, tum ob consuetudinem non solum aequalium, verum etiam doctissimorum virorum, qui filiis Jo. Georgii Walchii patrum, in cuius domo per triennium habitabat, amici et socii erant, fortunatissimus fuit. Nulla unquam oblivio vitae in Academia Jenensi transactae et beneficiorum ibi acceptorum memoriam ex animo eius delevit. Atque innumera venerandi patrum in se collata beneficia fuisse, ipse praedicavit in epistola latine scripta typisque Schleusingae anno MDCCLXII expressa, in qua illum dixit beatum esse, quod non solum ipso ille anno decimum Academiae Jenensis gubernaculis admotus esset, sed etiam filius eius Christ. Guil. Franciscus, vir amplissimae eruditionis laude florentissimus, in Academia Georgia Augusta itidem purpura academica indutus, faustos celebrasset hymnaeos itemque alter filiorum Carolus Friedericus, iurum legumque interpres clarissimus omnique literarum elegantia instructus, nuptias propediem celebraturus esset. Tum illum, non solum ut praeceptorem, verum etiam ut propinquum, quocum gratae mentis vinculis sanctissimis coniungeretur, a se coli testatur. Longum est, singulas laudes commemorare, quibus gratum in patrum animum, indicavit. Inde igitur multorum commodorum

---

donec Ampl. Senatus huius urbis theatrum nobis suppeditavit, in quo b. parentis et meis auspiciis ludi scenici non sine laude editi sunt. Et nunc quoque ludi nostri saeculares theatri pompa ex more maiorum non caruissent, nisi scenae et cetera, quae ad elegantiam pertinent, adeo obsolevisent, ut decreverim, ne in contemptum abiret institutum antiquum et adolescentulis ad decoram agendi et declamandi rationem formandis maxime profuturum, avocare animum ab ordinandorum actu theatri consilio.“— Ceterum olim fere quotannis comoediae binae ex Terentio, Plauto et Frischlino depromptae, altera finito examine auctumnali, altera post examen vernum in theatro publice doctae sunt actaeque, ad eam rem fortasse prius publice explicatae. Vid. Godofr. Ludovici Histor. lectionum Illustr. Gymnasii Schleusing. Schleusingae 1706. p. 17.

fructum percepit. Nam praeceptoribus utebatur agnatis, amicis, familiaribus, iisque clarissimis literarum universitatis luminibus. Etenim Jo. Ernestus Immanuel Walchius, patruelis idemque filius Jo. Georgii, cuius hospitio Noster receptus erat, sex annis ante itinere cum fratre Francisco, Theologo Gottingensi, per Germaniam, Bataviam, Galliam, Helvetiam, Italiam facta, \*) iuventibus illius universitatis Nutritoribus, ab anno MDCCL scholas habere instituit, neque solum in illis terris, quarum modo mentionem fecimus, in virorum doctissimorum venerat familiaritatem atque plurimum rerum utilissimarumque cognitionem consecutus erat; sed etiam ad humanitatem et facilitatem animum moresque conformaverat. Talis ac tantus vir primus advenam mysteriis antiquitatum Romanarum initiavit, idemque consuetudinem hominum eruditione atque auctoritate florentium, quibus aditus ad Georgium patrum patebat, cum sequi iussit. Illa igitur domus ei facultatem dedit praestantissimorum quorumque virorum notitiae faciendae, unde factum est, ut postero tempore celeriter inclaresceret. More tunc usitato qui antiquarum literarum studia sequebantur, magnam theologiae dabant operam. Quem ille morem secutus est sic, ut reliquarum artium studia non negligeret, utque theologicis, philologicisque literis mathematicam disciplinam, et philosophiam, et historiam adiungeret.

Iam quo commodius vitae eius narrationem continuare possimus, fundamenti loco ponamus ea, quae in programmate quodam de semet ipse memoriae prodidit. \*\*) „Ego ipse, qui natus sum 1736, finitis in Gymnasio patrio et universitate Jenensi literarum studiis, et in eadem summos nactus in philosophia honores \*\*\*) in Tertium docendi in Gymnasio locum suffectus sum 1761 a Sereniss. Duce Vinariensi, Gymnasii tum directore;

\*) Cf. librum, quem supra pag. 5. not. \*\*\*) commemoravi.

\*\*) Vid. Programma, quod inscriptum est: Narratio de rebus in Gymnasio Hennebergico ab anno conditi eius C ad CC gestis. Schleusingae MDCCLXXVII. p. 5.

\*\*\*) Ceterum ex testimonio, quod in bibliotheca Schleusingensi inter alia scripta asservatur, patet, eundem mense Aprili anni MDCCLVIII Dresdae, coram senatu summo, qui res sacras et scholasticas per Saxoniam Electoralem curabat, spectandum se obtulisse, in eoque examine magna cum laude fuisse probatum.

ad Conrectoris spartam surrogatus anno 1764 sub Directorio Meiningsi, in qua, privata prius pietate, mox vero Electoralis Consistorii auctoritate iussus, vices simul gessi b. Parentis senio confecti. Quo tandem beate defuncto, delegatis a Sereniss. Directore Meiningsi duobus e Senatu ipsius Sacro Consiliariis, Viro quondam illustri, nunc b. Busenio et S. R. Volkhardto, in sacris aulae ipsius rostris Oratore primario, una cum Conrectore recente et Collega Tertio, ad plenam Rectoris provinciam inauguratus sum.“

Itaque munere Collegae Tertii suscepto summa diligentia Gymnasii patrii saluti consulere studuit. Nam quum pater, senex tristis ac decrepitus, ob infirmas corporis vires gubernacula Gymnasii tractare ut antea non posset; filii pietas patri opitulata est, nec solum scholas, quae ei iniunctae erant, diligenter habuit, verum etiam multas res sapienter ac melius, quam antea, instituit, discipulos institutione domestica edocuit, studia eorundem libris utilibus cum iis communicatis excitavit, aluit, promovit. \*) Eccius, Kühndorfiensis, ex cuius libro quae modo commemoravimus depromsimus, eum propter indefessum studium, quo salutem patriae scholae augeret, in eximiam huius Gymnasii gloriam natum fuisse ostendit. Circa idem tempus, ab Immanuele Walchio excitatus, societati se adiunxit virorum doctorum, qui in eo erant, ut ephemerides literarias Jenae ederent, multaque iudicia, quae de varii generis libris ferret, in illis typis exscripta esse accepimus. Magnam praeterea laudem eo sibi conciliavit, quod, quum acutum, diligentem et sedulum se praestitisset socium virorum doctissimorum, qui Bibliothecam Germanicam universalem edebant, amicitiae vinculo cum praestantissimis viris, ut Nicolaïo, Kästnero, Lichtenbergio, coniunctus est.

Neque in occulto latuerunt viri virtutes. Nam quum per triennium maxima cum laude munere Collegae Tertii perfunctus esset, et Wackerus Conrector ad Steinbacenses, subiturus munus sacerdotis, in Ducatum Meiningsensem anno MDCCLXIV avocatus esset: ipse illius munere ornatus, et, quinquennio vixdum interiecto, Rector Gymnasii designatus et

\*) Vid. M. Johann Georg Eck, ordentl. Professor der Dichtkunst u. zu Leipzig, Nachrichten von den Predigern der gesürst. Graffschaft Henneberg. Leipz. 1802. p. 54.

die XII mensis Julii anni MDCCLXIX solenni ritu per legatos nobilissimos, a Sereniss. Duce Meiningensi missos, ad omne officii munus instructus est. Quo facto quum continuo mense Septembri eiusdem anni omnium Sereniss. Nutritorum auctoritate et iussu totus coetus scholasticus exploratus esset, paullò post non solum mathematicis disciplinis, quae ad illud usque tempus neglectae iacuerant, adolescentes instituere iussus, sed etiam dignitate Professoris Philosophiae et Mathesis decoratus est. Ex eo tempore Gymnasium magis magisque efflorescere coepit: et multae conveniunt causae, quae Walchium adiuverant. Nam, quum patris successor ipse constitutus esset, Thomas Anschütz, Meiningensis, qui ob fidem et diligentiam laudatur, ipsum in munere Conrectoris sicut antea in loco tertio secutus est; huic autem Ad. Christ. Reinhardt (qui exeunte anno MDCCXIII ad regendum Gymnasium Hilperhusanum avocatus est) successit, denique haud ita multo post Gottlob Abrah. Stäpsius, Cantor, vir strenuus isque musicae atque humanitatis studiosissimus, Lipsia e Schola Thomana anno MDCCLXXII collega est missus. Qui viri quum fere omnes iuventae vigore gauderent, studio, quo flagrabant, labores minuente, fieri non potuit, quin Gymnasium indies cresceret.

Sed ad Nostrum revertamur. Ex quo igitur toti Gymnasio praefectus est, non solum scriptis programmatis innumeris atque celeberrimis, sed etiam duobus libris utilibus editis et sibi peperit laudem et Gymnasium apud externos commendavit. Namque anno MDCCLXXXIII Geographiam mathematicam typis describendam curavit. Quem quidem librum quum maxima diligentia exarasset, in eoque componendo optimo scribendi genere usus esset, quumque Kästnerus, cuius amicitiam Walchius in praefatione huius libri immortalis memoria se retenturum esse praedicat, ad libri utilitatem augendam nonnulla sua manu addidisset: non est mirandum, quod absolutum opus visum, nec semel, sed ter literarum formis exscriptum est.

Alteri libro, ex quo eum genealogiae et historiae et geographiae peritissimum fuisse apparet, hic titulus est: *Albrecht Georg Walch's genealogisch-historisch-geographisches Handbuch für die Jugend, zur Kenntniß der Europäischen Regenten, ihrer Häuser und Länder.* Göttingen 1788. 8. Cuius libri prior pars iterum prodiit anno MDCCXCII; posterior anno MDCCLXXXVIII typis descripta iterata editione fraudata est, quod fur quidam illam typis



exscribendo maximum redemptori detrimentum attulerat. Eiusdem hominis flagitio factum est, ut inchoatum imperfectumque opus relinqueretur.

Iam ad ea animum attendamus, quibus illo vel suadente vel iubente Gymnasium auctum et ad perfectiorem statum evectum est. Non is erat Georgius noster, qui novissima quaeque captaret avideque arriperet; idem ubicunque institutum aliquod parum commodum vel utile esse, neque ad Gymnāsii salutem conferre, nec temporibus satis convenire intelligeret, omni opera nisus est, ut aut minuerentur incommoda, aut plane tollerentur. De quibus priusquam scribamus, haec exemplo Nepotis praecipienda videntur lectoribus, ne illa tempora ad sua referant; neve ea, quae ipsis parum commoda esse videantur, pari modo patrum nostrorum memoria fuisse arbitrentur. Primum igitur, ut coetus scholasticus speciem saeculi sensui accomodaret, et collegas atrum, quo ornatos eos semper incedere oportuerat, vestitum, et alumnos amacula nigra plane obsoleta deponere iussit. Idem vetuit, ne maiorem matutini temporis partem discipuli in sacris publicis obeundis neve in exsequiis hominum infimi ordinis celebrandis consumerent. Eiusdem consilio factum est, ut, quum totum Gymnāsii aedificium maximis sumptibus reficeretur ornareturque, auditoria inferiorum ordinum parietibus interiectis secernerentur, tollerunturque incommoda, quae vel natura locorum vel puerilis petulantia attulerat. Antea enim neque septima classis a sexta, nec quarta a quinta nisi pariete tenui separata erat.\*) Qui et gratis in Gymnasio habitare solent discipuli et multis aliis emolumentis fruuntur, quum tempestatum frigorumque asperitate aliisque incommodis premerentur, hieme saepe, quominus scholis publicis interessent, retinebantur. Horum igitur valetudini consuluit ab iniuria brumalis temporis dormitorium defendendo. Bibliotheca vero scholastica, quum antehac in arce Schleusingensi quasi in carcere inclusa fuisset, quo et praeceptoribus et alumnis facilius pateret neve situ ac putredine libri rarissimi op-

---

\*) Hoc loco non alienum videtur indicare, quae singularum classium auditoria fuerint. Quod hodie tertium auditorium est, illo tempore septimum fuit; pars quinti auditorii sexta erat classis; altera quintae classis parte tunc quintum auditorium constabat. Quarta classis eadem erat, quae nunc est, sed utriusque classis ostium erat commune, itemque septimae et sextae classis.

timique cotrumperentur, illius auctoritate atque impulsu vinculis liberata atque ex tenebris in lucem protracta est, ut in ipso Gymnasio optimo loco collocaretur, neque amplius Rectorem puderet, harum rerum studiosos in eam introducere. Ne vero ipsi praeceptores, premente rei familiaris angustia, muneris oneri succumberent, sed suis quisque officiis libenter fungeretur, haud dubitavit, quin supplicibus precibus Friedericum Augustum Electorem Saxoniae adiret, et collegarum sustentandorum causa ab eo peteret, ut annua singulis auferentur. Qui quidem, quum Georgius noster non amplius quingenos florenos postulasset, pro munificentia sua, quotannis insuper trecenos se additarum esse promisit. Quod quidem vix impetrasset, nisi apud D. Reinhardum, oratorem illum clarissimum a sacris Saxoniae aulicis, maximam gratiam prudentia, probitate doctrinaque iniisset. Denique, id quod tempore illo maxime necessarium esse videbatur, effecit, ut anno MDCCLXXVI linguae Gallicae doctor, natione Gallus, cui nomen erat Claudio Demart, proposito salario, arcesseretur.

Qua ratione et via in formandis instituendisque pueris usus sit, ut planum faciam, cum lectoribus communicabo sententiam eius programmatis expositam, quam dixit rerum novarum cupidos impugnando. Nam quum vetere pueros instituendi ratione damnata Basedovius, Fr. Trappius, Joach. Henr. Campius aliique novam ab ipsis exeogitatum commendarent, Noster omnibus causae argumentis accurate examinatis, quid ipse censeret, compluribus programmatis explicuit. Illi enim quum priorem rationem riderent, servirentque saeculi vitiis, speciosis argumentationibus animos sibi conciliabant. Quam ob rem quam ab utraque parte vehementius certaretur, Walchius tranquillo animo rem expendens mediam quandam viam ingredientem esse ostendebat et praecipue memoriam puerorum negligendam non esse contendebat. Illi enim cupidius quam cautius nihil ad verbum memoriae inculcandum esse statuebant. Atqui negari non potest, illis temporibus puerorum institutionem paene totam in catechismo, psalmis, vocabulis, paradigmatis, regulis cuiusvis generis, nominibus memoriae tradendis versatam esse. Itaque Walchius non esse temere utilia cum inutilibus abiicienda, neque posse artium elementa sine praeceptorum morositate et discipulorum labore mentibus ita mandari, ut firma atque perpetua memoria haerent, affirmabat. Quum nimium temporis linguae Latinae

discendae impendi minime infitiaretur et multo utilius partem scholarum ad alias res necessarias cognoscendas conferri iuberet, confabulando dumtaxat et recitando libros et quasi ludendo ullam linguam disci posse negabat. Namque expertum se scire, pueros ista ratione institutos, quum totum se Nepotem legisse gloriarentur, a linguae Latinae familiaritate fere tam longe abesse, ut ne prima quidem elementa recte tenerent: quam ob rem se regularum gnaros venatoribus istis papilionum longe anteponebat.

Idem tamen praecepta religionis Christianae mente potius quam memoria comprehendenda esse censebat. Erant autem illis temporibus, qui nulla omnino religionis praecepta tradenda ac ne nomen quidem Dei pronuntiandum esse censerent. Non debere, aiebant, nisi fortuito, data occasione, quum vel sol exoriens, vel redeuntes verno tempore flores animos commoverent, de Dei providentia pueros moneri. Hanc ille rationem plane damnabat. Et profecto, nisi Basedovii, Salzmanni, Struvenii aliorumque eius generis virorum exstarent libri, vix hodie crederemus, eo levitatis ullos unquam rei Christianae doctores progressos esse. Nimia disciplinae severitate patrum nostrorum memoria peccatum esse, nemo ibit infitias. Contra illi rerum novarum studiosi omnem verecundiam ex animis puerorum sublatam ibant. Qua temeritate merito indignabatur Walchius, modestiam dictitans esse virtutum omnium principem et sanctorum adolescentium decus; quemadmodum enim lapides laevigando pretiosiores fierent, ita adolescentium laudem augeri modestia. Frequenter Ciceronis verba (De legg. 3, 2.) illa laudabat, qui bene imperat, paruerit aliquando necesse est: et qui modeste paret, videtur, qui aliquando imperet, dignus esse. Mollem nimis et delicatam disciplinam certissimam animi corporisque corruptricem esse existimabat.

Inerat in Walchio fere omnia ea bona, quibus Gymnasii rectores instructos esse oportet. Erat enim literis Graecis et Latinis eruditus ita, ut Latinae linguae usu inprimis excelleret. Qui quum intellexisset Latinarum literarum scientiam firmissimum esse solidioris doctrinae fundamentum, non solum teneros pueros elementis regulisque grammaticis imbui iussit, sed adolescentes etiam, quos ipse docebat, monebat, ut et in singulis verbis, in quibus difficultas aliqua inesse videretur, et in constructionibus vocabulorum, quibus quique scriptores uterentur, et in contextu verborum

rerumque mentem defigerent. Inde etiam illa virtus secuta est, qua difficillima quaeque exemplis e vita communi depromptis explanabat atque illustrabat. Ad perspicuitatem orationis, qua in enucleandis scriptoribus utebatur, quod attinet, omnes eius discipulos, qui adhuc superstites sunt, testes mihi fore arbitror, maiorem, quam in illo, in nullo unquam praeceptore inventam esse. Hoc loco poëticum eius ingenium commemorandum est. Nam quum bene sentiret atque intelligeret, quid recte, venuste, eleganter esset dictum, atque ipse saepenumero occasione oblata carmina pangeret; discipulos non solum ad usum orationemque poëtarum, Horatii ac Virgilii imprimis, animum attendere, sed etiam quavis hebdomade aut vernacula, aut Latina, interdum etiam Graeca carmina eos componere iubebat. Qui quo facilius versibus contexendis assuescerent, iam puerulos inferiorum ordinum cum regulas prosodicas ediscere, tum singula vocabula calamo excepta, notata prius syllabarum quantitate, in ordinem redigere iubebat. In superioribus autem ordinibus, quorum civēs, ut iam supra commemoratum est, quavis hebdomade alternis vicibus et Latinos et Germanicos versus faciebant, summos antiquitatis poëtas ipse ea diligentia explicare solebat, ut nihil omnino, quod ad leges grammaticas, ad historiam, geographiam, astronomiam, mythologiam etc. pertineret, intactum relinqueret, praecipue autem usum et leges poëtarum edoceret. Et hodie mihi videor eum videre in Horatio exponendo illam regulam tradentem exemplisque explicantem, in carminibus faciendis minus esse nominibus communibus propriisque utendum, quam translatis vel permutatis: poëtas enim singula quaeque evidenter ante oculos ponere ac tanquam pictores coloribus distinguere; quam ob rem ubicunque id fieri recte posset, aut similia cum similibus, aut cognata cum cognatis, aut partem cum toto permutare. Quae ut clarius elucerent, saepissime discipulos complures poëtarum locos evolvere atque inter se comparare iubebat. Hoc loco non alienum esse videtur, patris mei quaedam verba ex programmate, quod ad audiendas orationes in solemnibus semisaecularibus Geo. Walehii anno MDCCCXI scripsit, transcribere: „Hinc multi, inquit, discipuli metricis versionibus, iisque non contemnendis, et imitationibus cum Germanicis tum Latinis sese exercitarunt. Persuasum enim sibi habet, linguas antiquas non tantum verborum et formularum, quam rerum causa, ediscendas esse. Recte quidem atque

severe a suis postulat, ut bene Latine scribant, neque contra leges grammaticas peccent, quod iure turpe habetur et nemini ignoscitur, qui eruditi nomen prae se fert; sed summam omnis institutionis iuvenilis et antiquitatis studii hanc esse iudicat, ut, qui adolescentiam in legendis versandisque libris antiquis transegerint, ipsi ita, ut principes illi viri, quorum exempla omni laude superiora eruditissimus quisque admiratur, sentiant et cogitent.“ Subtilitati ac diligentiae, qua poëtas, inprimis Horatium ac Virgilium, interpretabatur, leporem et facetias, quibus auditores delectarentur, immiscere solebat. Quanta cum delectatione eius discipuli eum docentem audierint, quantaque cum voluptate temporis illius, quo ab illo erudirentur, recordati sint, vel ex hoc patet, quod postridie eius dici, quo praeceptoris senis solemnia semisaecularia celebraverant, ut locos quosdam Horatii et Virgiliti coram frequentissimo ipsorum conventu exponeret, ab eo petierunt.

Ad doctrinam eius permulta alia animi bona accesserant. Erat enim veritatis diligentissimus, ut non solum admonitione, sed severitate etiam discipulos ad veritatis studium perducere staderet. Ipse autem nullius unquam auctoritate impediri potuit, quominus quid sentiret libere profiteretur, etiamsi veritatis studio inimicitias se sibi contracturum esse praevideret. Quid de quaque re sentiret declarare, suae dignitatis, sui officii esse ducebat; munere autem sibi delato religiose perfungi summa ei voluptas fuisse videtur. Fuit igitur apertus ac simplex, atque patris instar discipulos bonae indolis amare solebat, ita ut patris nomine ipsi eum insignirent; omnibus enim erat persuasum, eum nihil agere, nihil instituere, nisi quod ad ipsorum commodum et salutem spectaret. Quo factum est, ut, si forte iracundia abreptus gravius in aliquem animadvertisset, quam hodie par esse iudicaretur, facile is ipse, qui mulcatus erat, ei ignosceret; pater enim a filio poenas sumpsisse credebatur. Hennebergiae, patriae terrae, flagrabat amore: nam licet intima ei cum viris doctissimis intercederet amicitia, ut facile eorum gratia maiores honores maioraque commoda consequi potuisset, nunquam tamen alius muneris eum cupidum fuisse accepimus. Nihilominus eius pietas omnem complectebatur Germaniam, neque tyrannide Franco-Gallorum, qui ineunte hoc saeculo patriam nostram oppressam tenebant, impediri potuit, quominus coram numeroso discipulorum coetu eorum imperium cavillaretur. Aegerime tulit omnium, quum Franco-Gal-

lorum imperatoris filium recens natum Romanorum regem declaratum esse audiret. Idem quo tempore multi boni cives saevo Palmii bibliopolae supplicio comperterriti tacebant, patriae amorem coram discipulis libere professus est. Eundem in discipulorum et patriae urbis salutem omni cogitatione curaque incubuisse inter omnes constat. Neque erit, qui dicat, eius studium temporarium fuisse; namque in illo fuit nec mora, nec requies. Cum hoc studio, corporis firmitas atque aliae virtutes coniunctae erant. Erat enim non solum severus, verum etiam comis, affabilis, benignus, clemens, ut singulari eum discipuli amplecterentur amore. Quanto maiorem autem apud discipulos inibat gratiam, tanto insignior eius fama per Franconiam atque alias patriae partes percrebrescere coepit, ita ut paulatim Maecenates ac fautores literarum consuetudinem atque amicitiam eius appetere. Inter quos inprimis eminent vir nobilissimus de Truchsess, eques Imperii Germanici Franconicus, qui arcem, cui nomen est Bettenburg, suo tempore celeberrimam reddidit. In huius enim arce, in colle nemoroso peramoene sita multisque patriae virtutis monumentis ornata, omnes viri et ingenio, et doctrina, et praecipue poësi insignes liberalissime excipiebantur: eademque Walchio patebat. Neque minore gratia floruit apud reliquos Dominos de Truchsess, qui Bunndorfium et Wetzhusam tenebant, ita quidem, ut non solum ipsi filios suos ei educandos edocendosque traderent, verum etiam aliis huius splendidissimi ordinis adolescentibus e Franconia oriundis, ut ob literarum studia Schleusingam peterent, auctores essent.

Iam ad res eius domesticas nos convertamus, ut has quoque ei prospere cecidisse pateat. Anno MDCCLXX cum Mariana Augusta Hausswald, virgine nobili loco nata matrimonium iniit. Fuerat enim eius pater a legationum rerumque publicarum Poloniarum et Saxoniae administrandarum consiliis. Cuius vitricus Jo. Immanuel Bössel quum Schleusingae a rerum Electoralium administrandarum consiliis esset quumque ipsa venustate excelleret, fieri non potuit, quin et inter virgines illius temporis floreret, et postea, quum mirum in modum comis, liberalis et perurbana esset, inter matronas emereret. Walchius autem et urbanitate, et festivitate (licet interdum etiam aculeos sententiarum acerbiores immisceret) omnibus acceptus, hoc coniugio felicissimus fuit. Quo quum usque ad diem tertium anni MDCCCIX usus esset, liberos reliquit nullos, unica filia, quam ex illa susceperat, anno

MDCCLXXXVIII praematura morte abrepta. Quum obitu coniugis amatissimae gravissime afflictus esset, tamen paullo post studia humanitatis et muneris negotia doleris solatium praebuerunt, senectatemque eius denuo oblectaverunt. Paulo post duo praecepteres multiplici eruditione ornatu alacrique iuvenum edocendorum studio insignes, Schmidtium dico et Kraftium, \*) in humanitatis studiis refoveandis omnem industriam posuerunt.

Ex eo tempore multa melius instituta et e Schola Portensi in Schleusingensem translata sunt. Quo factum est, ut non solum maximum studium in animis discipulorum excitaretur, sed discipulorum etiam numerus admodum augetur. Sic seni officium religiosissime exsequenti dies felicissimi duorum solemnium semisaeculariorum eluxerunt. Vir, qualis Walchius noster omnium ore laudatur, cuius summa felicitas in salute discipulorum ipsi traditorum procuranda unice nitebatur, qui omnem cogitationem in formanda iuventute figebat, dignus fuit, quem Deus O. M. non solum longaevae ac tranquillae senectutis participem redderet, verum etiam duplicibus solemnibus semisaecularibus decoraret. Contigit enim ei, ut non solum anno MDCCCXI, quum solemnium semisaecularium doctoris celebraret, a Rege Saxoniae numo memoriali aureo ornaretur; sed etiam, ut anno MDCCCXIX, quum solemnium semisaecularium muneris Rectoris agerentur, a Clementissimo Potentissimoque Borussorum Rege, FRIEDERICO GUILLIELMO III, literis IPSIUS manu scriptis collaudaretur atque insigni ordinis equestris, quae ab aquilae rubrae imagine nomen habet, decoraretur. Hoc loco non sunt praetereunda exempla animi bonitatis. Licet enim li-

---

\*) Quorum prior, M. Car. Theoph. Schmidt, ex Schola Portensi, ubi tum Collaboratoris munere fungebatur, anno MDCCCIX arcessitus, provinciam Collegae III suscepit; mox autem hoc munere vix per annum administrato, dignitatem Conrectoris adeptus est, cui maxima cum laude omnium, qui eum noverunt, usque ad mensem Februarium anni MDCCCXXI, quo Numburgum ad munus Scholae, quae ibi floret Cathedralis suscipiendum, advocatus est, praefuit. Alter Friedr. Car. Kraft, ex eadem schola egressus, in locum Collegae III mense Martio anni MDCCCXI introductus, quum ad subeundem munus Collegae III Scholae Numburgensis advocatus esset anno MDCCCXVI, nostro Gymnasio discessu suo invitus maximum attulit damnum. Inter omnes enim constat, quantus vir ille sit, qui hodie rebus scholasticis Hamburgi praest.

beralitas eius laudari digne vix possit; tamen, quum ab utroque Rege centum imperiales dono accepisset, illam pecuniam discipulis statim ad solemnia celebranda tradidit.

Ex illo autem tempore senectus languida ei obrepere coepit, ac paulatim ipse intellexit, se illa confectum in posterum non ut antea Gymnasio praeesse posse. Morosior inde atque imbecillior factus est. Quod quum pari modo a Serenissimis Nutritoribus Gymnasii intellectum esset, non solum magna pars lectionum ad Collegas translata, sed Schoberus etiam, qui quondam discipulus eius fuerat, Collaboratoris nomine adiutor datus est. Haud ita multo post die V mensis Januarii anni MDCCCXXII, aetatis sexto et octogesimo cum spe certissima salutis aeternae placide decessit et die IX eiusdem mensis celeberrima pompa funebri elatus est.

Senex venerabilis, quum iam in medio mortis discrimine languidus iaceret, ardentissimi voti morte sua ipse est damnatus. Etenim votum illud, quod die XIV mensis Maji anni MDCCCLXXVII in oratione ad sacra Gymnasii saecularia celebranda pronuntiaverat, „O quam beatum me dixerim, si id me egisse eventus olim doceat, ut deplorata beneficiorum pristinorum lugenda iactura, in animum sibi quisquam, qui me audit, induxerit, ut ipse olim partem amissorum legatorum, sua beneficentia moribundus restauret“ ab ipso impletum est. Videlicet testamento iam anno MDCCCVIII communiter cum uxore facto, omnia bona sua, et hortos et agros, auctione constituta publice vendi, pecuniamque ex ea coactam, decessione quadam ad legata propinquis solvenda facta, aerario scholae patriae administrandam collocandamque tradi, denique fenore annuo discipulos primae ac secundae classis et morum sanctitate et literarum studiis excellentes praemiis ornari iussit. Postea vero anno MDCCCXVII, ipso die natali octogesimo altero (die II mens. Junii), mutato priore testamento, omnem bibliothecam, a patre hereditate acceptam et ab ipso auctam, Gymnasio donavit; neque solum legata, quae discipulis destinata fuerant, rata esse iussit, sed alia etiam praeceptoribus ipsis ad eorum rem familiarem sublevandam deerevit.

Sic benevolentia Walchii, quam vivus erga discipulos habuit, etiam posteris commodo est.

Iam de Nostri vita ac meritis satis exposuisse nobis videmur. Quodsi quis interroget, num talis ac tantus vir, erroribus vitiisque fuerit exemptus, cum vitiis aequae atque omnes, qui terrae munere fruimur, laborasse, haud eam infitias, sed ea neque indagare, nec recolere volui; praesertim quum non sit dubium, quin virtutibus eius vitia satis obscurata sint.

